Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 205
Quelle:
Copyright:

II. *fol.* 319. *Commentarius in Cantica V. et N. T. et Symbolum Athanasio tributum*, quem pariter *Ludolpho* adscribere non formido. Ita conspirant omnia cum praecedentibus. Initium facit Canticum Isaiae: *Confitebor tibi domine* &c. Quodvis Canticum precatione sua stipatur, quarum ultima incipit: *Sancta trinitas atque indiuisa vnitas omnipotens eterne deus* &c. Ad calcem: *Explicit die martis post martini 1446.*

III. *fol.* 356. p. 2. Elenchus *Haereticorum* juxta literarum seriem confectus ad modum *Philastrii* et *Honorii Augustodun.* quibus etiam usus videtur Noster. Initium absque inscriptione: *Quidam Heretici qui de ecclesia recesserunt ex nomine Autorum suorum nuncupantur* &c. Primi sunt *Appellite*, ultimi *Valentiniani*, quos Postfamen excipit, in quo inter alia: *Similiter inter quosdam malos beghardos et beginas diuerse heresses pullulant.* Unde de Autoris aevo statuas. Liberalior is fuit in multiplicandis Haereticis, quemadmodum dicti ejus antecessores, qui in quibusdam ex eo emendari possunt; ita de *Cainanis* bene: *quoniam chain adorant*, ubi in *Bibl. PP. Lugd.* T. XX. p. 1039. prave: *quoniam Cain oderant.*

Thecae Codicis interius utrinque adglutinata fuit membrana, cujus una facies continere videtur, quantum adhuc legi potest, Acta pertinentia ad Reformationem Coenobii Virginum *S. Stephani Argentinensis* factam a *Johanne de Stemborn* Decret. doctore et Vicario generali *Ruperti Ep. Argentin.* nec non a *Nicolao Lindenstumpff* Licentiato in Decret. et Canonico *S. Thomae Argentin.* commissariis memorati *Ruperti* Episcopi, cui Synodus *Basileensis* ejusmodi reformationem injunxerat. In altera facie clare legitur notitia insinuationis factae superioris instrumenti *Johanni Wernlin procuratori Abbatissae* ejusdem coenobii, relicto ejus apographo in manibus *Verene Waldnerin Canonice ejusdem monasterii.* Testes *Conradus Tenger sacrista chori S. Stephani* et *Johannes Huter familiaris Abbatisse. Actum A. 1442. indict. quinta Pontificatus Felicis PP. V. anno II. die 25. mensis Januarii in choro Ecclesie S. Stephani.* Notarius *Leonardus Valck.*

LXXXVI. VI. E. 26.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. nunc 194. f. per duas columnas sat nitide scriptus, et rubricis enotatus, exhibet: I. *Commentarium in Psalmos priores LI.* Thema *Prooemii* est illud II. *Reg. 6. Cumque transcendissent qui portabant archam domini* &c. Initium: *In hac auctoritate determinantur quatuor cause pertinentes ad presentem doctrinam psalmorum* &c. Aevum Scholasticorum haec produnt. Initium Psalmi I. *Beatus vir &c. In hoc notatur duplex in christo perfectio* &c. Finis Psalmi LI. *bonus est dominus sperantibus in se anime querenti illum.* Succincta est Expositio, sententiis PP. 314

in